



Samelbd.

0/0

die,

33  
DE  
STVDIORVM HVMANIORVM  
FATIS  
PAVCA DISSERIT,

---

ET AD  
ACTVM PVBLICVM  
QVO  
VIRO  
NOBILISSIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE  
DOMINO  
HENRICO IVLIO  
CHRISTIANO  
FRITSCHIO  
SVB - RECTORIS  
MVNS  
DEMANDABITVR

---

AD DIEM IV. AVG. MDCCL.  
INVITAT  
D. MARTINVS GRVLICHIVS  
SVPERINTENDENS.

---

TORGAVIAE, LITERIS PETERSELLIANIS.

DE  
STADIORVM HVMANIORVM  
PATTIS  
PACVA DISSERT.

---

ACTVM PVBLCVM

VIRI  
NOBILISSIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMO  
DOMINO

HENRICO IVALLO  
CHRISTIANO  
FRITSCHE

SVB RECTORE

MUNICI  
PROMISSO

---

AD PBM IN AVA MDCCCL

D. MATHIAS GRAYNICHVS

---

NOBILISSIMO, CLARISSIMO, DOCTISSIMO



**E**cclēsiā luminari nocturno, non iisdem semper phasibus splendenti, assimilari noyimus; Imperia etiam ac Regna suas Periodos habere certum est: Quid ergo mirum, si neque *bonæ literæ* sive artes liberales in eodem semper statu eademque perpetuo dignitate ac æstimo persiste- rint, sed suis potius intervallis distinctas vicissitudines expertæ sint? Quem temere fugit, quam pro diverso Ecclesiæ ac Reipublicæ statu *elegantiores literæ* etiam stentque cadantque? Omnium literarum expertus habendus foret, qui varia studiorum *fata* nesciret. Verustissimorum temporum memoriæ recolentes statim intelligent, quod quidem tempore Monarchiæ græcæ & jam antea, *liberalibus disciplinis* suum decus suusque nitor steterit, atque debitus honos iisdem sub Romanis etiam Imperatoribus servatus sit. At quanto vilipendio quantoque decremento imo contemptui ac opprobrio Seculo V. inclinante hæc ipsa studia exposita fuerint, non subticent annalium veterum conditores. Irruentes in Italiam *Heruli, Gotbi, Longobardi* & quæ non barbara gens? uti Latium, ita linguam latinam adeo devastarunt & decurparunt, ut extincta Latinitatis puritate, *lingua*, quam vocabant, *rustica* ipsum Latium & literatum orbem occuparet.

Et utinam! hoc *Musarum* infortunium nubecula saltem cito transitura fuisset! Ast, quem latet, quam per septem integræ Secula eadem sub situ & squalore contemptim sepultæ jacuerint. Seculo demum XV. in lucem reducendæ? Huic enim Seculo ea felicitas contigit, ut studia, sordibus reiectis, pristinum nitorem pristinamque elegantiam recuperare sensim inciperent. Quæ inopinata rerum mutatio tanta mihi semper visâ est, ut plus simplici vice in causas *reviviscentium Musarum* paulo solertius inquirendi occasionem quæstiverim. Doleo autem vehementer, quod inpræsentiarum tantum temporis & oiii, quantum

quidem hanc jucundam investigationem requirere facile quilibet intelligit, mihi non suppetat.

Historia testatur, quod jam Seculo XIII. ingenuæ quædam mentes soporem pristinum excutere, barbariem profligare & Musis viam præire annisi fuerint. Hoc enim tempore ars *pi-ctoria*, ars *musica* & *poëtice* amissas vires recuperaturæ visæ sunt. Namque circa hoc temporis intervallum & maxime circa annum 1207. inter Italos *Cimabuenus* nobilis Florentinus in arte *pingendi* adeo inclaruit, ut memoriam sui immortalem reddiderit. Quos non hac sua fama vestigiis suis insistere excitavit? Quem temere *Giotti* nomen fugit? qui, superstitè adhuc præceptore suo Cimabueno, *pingendi* artem tanto successu tantaque admiratione exercuit, ut *Stephanus Florentinus* & *Perrus Laurati* ex ejus schola prodeuntes felicissimis *graphices* restauratoribus merito annumerentur. Circa eadem autem tempora ars quoque *musica* una cum *poëtice*, quæ dudum ambæ deliquum passæ erant, vires resumere & in pristino splendore e tenebris tamen adhuc spissis micare cernebantur, illa quidem in *Italia*, ope *Guidonis Arepini*; hæc autem in *provincia Rhodanensi*, *Falcatario de Falcatariis* & *Guidone Guinicello* autoribus.

Verum, uti teste Cicerone; omnes scientiæ sororio quasi vinculo connexæ coherent; ita fieri nequit, quin *poësi* restituta & reliquæ *nobiliores disciplinae* reviviscerent omnes, omnes autem illo tempore revivixisse primum in *Dante Aligheri* & *Francisco Petrarca*, (dulcia semper omnibus merito literatis nomina!) apparuit, horum enim duumvirorum merita qui ignorat, omnia nescit. Vix vero eorum nomina ac studia innotuerant, cum alii viri docti pari fervore accensi eruditione nil prius nil antiquius habendum putabant, et fausto fortuito infortunio accidit, ut reviviscentibus studiis socias porrigere manus inciperent doctissimi e Græcia exules, *Emanuel Chrysoloras*, *Georgius Trapezuntius*, *Bessarion*, *Theodorus Gaza*, *Johannes* & *Constantinus Lascaris*, *Demetrius Chalcondylas* &c. qui capta anno 1453.

Con-

*Constantinopoli* in Italiam profugientes non sine stupore de recens invento *Typographia* artificio inaudiebant, illiusque beneficio græcam literaturam late disseminando, neminem non in amorem *elegantiorum literarum* rapiebant. Quibus cum Latinitatis studiosiores paria facere conarentur, dici nequit, quantum ex hoc literario zelo incrementi studiis accreverit. Brevitate temporis & angustia chartæ hic latius divagari prohibeor, proinde sat mihi erit, si nomina saltem præcipuorum in excelendis nobilioribus literis coryphæorum & daduchorum, servato tamen temporis ordine, & appposito die singulorum emortuali, repetiero.

Vestigia *Dantis Aligheri* & *Petrarchæ* supraque dictorum Græcorum presso pede sequebantur

*Alexander Hegius* † 1433. Rector Scholæ Daventriensis, vir literarum græcarum peritissimus, cujusque dialogi & epistolæ profant.

*Leonbardus Brunus Aretinus* † 1443. Emanuelis Chrysoloræ discipulus, cujus latina Ethicorum Aristotelis versio & alia supersunt.

*Poggius Bracciolinus* Florentinus † 1459. primus *Quintiliani* in Germania repertor & editor. Constat enim inter omnes, hunc nostrum instituto anno 1414. itinere erudito vetustissima in præcipuis Monasteriis *χαιοφιλάνια* perlustrasse, quo Codices MSSos conquireret, conquisitosque prelo subjiciendos curaret, taceo doctissimos ejus libellos *Sallengreniano* Antiquitatum Romanarum *Thesaurio* insertos.

*Georgius Purbachius*, Austriacus, † 1461. felicissimus disciplinarum mathematicarum restaurator, documento sunt novæ ejus Planetarum Theoriæ  $\alpha$ .  $\tau$ .  $\lambda$ .

*Æneas Sylvius*, Friderici III. Imperatoris quondam Secretarius, postea sub nomine Pii II. Papa Romanus, maximis sui temporis literatoribus merito annumerandus, † 1464. Clerum Germaniæ ipsi potissimum debere, quod e prisca barbarie

ereptus

- ereptus fuerit, inter harum rerum gnaros constat. Cum enim in Concilio Basileensi nostri Æneæ facundia & *Polymathia* innotesceret, ejus exemplo Clerus Germaniæ incitatus & ipse pari studio literas excolere incepit.
- Laurentius Valla*, Romanus, † 1467. primus Critices sanioris restaurator, testatur hoc liber ejus de *ficta Constantini M. donatione*, quem aulæ romanensi sudem semper in oculis fuisse notum est.
- Job. Regiomontanus*, Francus, † 1476. Purbachii discipulus & Germaniæ *Euclides*, notari hoc loco meretur, quod anno ejus emortuali prima post restauratas literas *Grammatica græca* opera *Constantini Lascaris* typis fuerit exscripta.
- Franciscus Philelphus*, magni Emanuelis Chrysoloræ quondam auditor & gener † 1481. tanto græcas literas applausu Florentiæ docuit, ut ultra CCCC. auditores lectionibus ejus interfuisse dicantur. Epistolas ejus eruditi semper in deliciis habuere.
- Rudolphus Agricola*, † 1485. *communis Germaniæ præceptor*, Academiam Heidelbergensem maxime ornavit. Opera ejus ex editione Alardi Amstelredami prostant.
- Hermolaus Barbarus*, Venetus, poëta excellens & primus post *καταγγεωσας* literarum in *Plinii historiam naturalem* commentator, † 1494.
- Angelus Politianus*, Hetruscus, ingenium præcox, nimius Pindari æstimator, græcæ autem literaturæ adeo peritus, ut vel ipsum *Demetrium Chalcondylam* superare visus sit. † 1494.
- Marsilius Ficinus*, philosophiæ Platoniciæ acerrimus vindex, & terse latinitatis scriptor, † 1499.
- Conradus Celtis*, Francus, polyhistor famigeratissimus & primus inter Germanos poëta laureatus Societatisque *Rbenanæ* membrum, † 1508.
- Job. Murnelius*, Rector Scholæ Monasteriensis in Westphalia, alter post *Agricolam Germaniæ præceptor*, & cujus schola tanquam



- quam ex equo Trojano præstantissimi prodire viri, quorum facile principem *Philippum Melanchthonem* dixeris. † 1513.
- Rudolphus Langius*, primus ferme masculæ *poëseos latinæ* in Germania restaurator, cujus carmen de *excidio Hierosolymitano* heroicum orbi literato fuit miraculo. † 1519.
- Job. Capnio s. Reuchlinus* linguæ græcæ non minus quam ebraicæ doctissimus, cujus etiam *primam* anno 1508. edidit *Grammaticam*, taceo ejus *Breviloquium* sive purgatum a pristinis sordibus *vocabularium latinum*, † 1521.
- Alexander ab Alexandro*, Neapolitanus, cujus *dies geniales* lucernam olent. † 1523.
- Hermannus Busebius* nobili genere natus, polyhistor insignis, commilito quondam *Murmelii & Erasmi*, cuique Academia Marpurgenfis multa debet. *Commentarius* ejus in *Donatum* notus est, notius autem *Vallum* ejus *Latinitatis* sive *vocabularium purioris latinitatis*, † 1534.
- Erasmus Roterdamus*, quem novimus ridendo & jocando dixisse verum, & ita dixisse, ut barbarici mancipia omnium contentui exponerentur. † 1536.
- Guilielmus Budeus*, Parisinus, magnum inter græcæ doctos lumen. *Commentaria* ejus *græcæ linguæ* & liber de *Asse* reconditam continent eruditionem. † 1540.
- Ludovicus Vives*, Hispanus, ob *Commentarium* in *Augustini librum de civitate Dei* maxime celebris. † 1540.
- Petrus Bembus*, illustri genere natus, *Constantini Lascaris* auditor, hinc in historia Veneta, hinc in epistolis ad familiares Ciceroniani stili felicissimum imitatore se præstitit. † 1547.
- Julius Cesar Scaliger* vix *πελοπονησιασος* & portentosa memoria, de cujus sublimitate ingenii *exercitationes* ejus in *Cardani librum de subtilitatibus* testantur. † 1558.
- Philippus Melanchthon*, Suevus, fidus b. Lutheri Achates & *quaruz Geymaniae præceptor*, polyhistor summus et polygraphus insignis, cujusque *grammatica latina* omnes Germaniæ scholas

illas occupavit; et hoc ipso effecit, ut reliquæ pristinorum for-  
dium barbaricarum penitus everrerentur. Notum enim est,  
quantopere olim Monachi inde ab anno 1213. *Alexandri de*  
*Villa Dei* Doctrinali puerorum, i. e. frigidissimo inficetæ  
grammaticæ compendio, *Job. Tortelli* Mammetrecto, Anony-  
mi geminæ geminarum; & alius Anonymi *arti diptibongan-*  
*di, punctandi & epistolandi*, itemque *Bridani* Vulgario dialecti-  
corum sophismatum, *Brunelli* fabulis, aliisque ineptis libellis  
adhæserint, & nesciis qua *dialecti Rothweilensis* jucunditate,  
stiliquæ rusticitate, quam false *autores epistolarum obscuro-*  
*rum virorum* rident, delectati fuerint.

Gratulamur itaque merito orbi literato de nitidiore lite-  
rarum elegantiorum facie, & optamus animitus, ut nunquam  
desint, qui excolendis humanioribus studiis operam & oleum  
impendant, ita enim cavēbitur, ne mundus in pristinam barba-  
riem recidat.

Laudanda hinc est Patronorum Ecclesiæ solertia, qui scho-  
lis viros præficere satagunt, de quibus constat, quod omne suum  
tempus omnemque suam operam in studiis addiscendis con-  
sumserint, & talis certe est Nobilissimus, Politissimus ac Doctis-  
simus Dominus *Henricus Julius Christianus Fritschius*, quem Se-  
natus noster Amplissimus Sub-Rectorem suæ Scholæ benevole  
denominavit, vocavit & confirmandum curavit, egregia ejus  
studia novit Lipsia, nec ignorat Dresda, hic enim conficiendo  
Lößcherianæ Bibliothecæ catalogo hucdum noster præfuit.  
Jam vero cum hodie à me è consensu *Senatus Amplissimi* reli-  
quis Dominis Præceptoribus commendandus & in Classsem suam  
introducendus sit, paucis hac datâ occasione de *præstantia bi-*  
*storia literaria* exponere visum fuit. Quem meum sermonem  
ut omnes, qui literas amant, Lycæo nostro bene cupiunt, & Do-  
mino Fritschio favent, benevola mente & attentis auribus  
excipiant, reverenter & humaniter invitantur.

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112




TA → SL  
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





STV

NIORVM

AC

ICVM

NOBILIS

TISSIMOQVE

HE

VLIO

F

NO  
IO

D.

CHIVS

TOR

LIANIS.



33

